



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ephemeris Ecclesiastica Concionatorvm Hoc Est Considerationes Methodicæ Sev Veritates Practicæ

Ex Vita Domini Jesu, Sanctorumque Gestis In Singulos anni dies mira
facilitate & solertia distributæ ... ; Cum indicibus necessariis

Pars Hyemalis - A Dominica I. Adventus Domini nostri usque ad
Dominicam Septuagesimæ

Haineuve, Julien

Coloniæ Agrippinæ, 1665

Die 3. Ianuarii. Quæ est Octava S. Ioannis Evang. De secunda conditione
puræ intentionis, ut studium continuum reprimendæ concupiscentiæ
comprehendat. Totius difficultatis de pura intentione solutio, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-44194

Iob. 13. lib.
1. c. 15.

epietur ut homo, vestra fraudulentis? Ipse vos arguat. Sic aptissime Job Nec negligendus Author libri de Imitatione Christi, qui hæc expresse habet, Pro nulla re mundi & pro nullius hominu dilectione, aliquod malum est faciendum; sed pro utilitate tamen indigentis, opus bonum liberè aliquando intermittendum est.

Ep. ad Col. 1. c. 15.

Vide in his quantum delinquas. Et illud sancti Hieronymi ad dirigendam intentionem tuam, & alia quævis recte operanda plurimi facito; Edificanti tibi spirituales domum, non super levitatem arena, seu soliditatem Petra, in-

nocentia imprimis fundamentum ponatur. Itemque illud Apostoli, Volo vos sapiens esse in bono, & simplices in malo. Nempe ut bonum fiat vel non fiat, sapienter est dijudicandum ex circumstantiis: Sed ad malum evitandum, sola simplicitas adfir. Quia omne malum est evitandum. Nullus mali delectus est, ubi omne malum excluditur.

Rom. 16.

Vide ferias infra Dominicam secundam post Epiphaniam, & alias ubi de peccato, ex Indicibus,

DIE III. JANUARI.

QVÆ EST OCTAVA S. IOANNIS APOSTOLI.
DE SECUNDA CONDITIONE PURÆ
INTENTIONIS, Vt STUDIUM CONTINUUM.
REPRIMENDÆ CONCUPISCENTIÆ COM-
PREHENDAT, QUOD IN LEGALI
CIRCUMCISIONE FIGURABATUR.

Circumcidite præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis amplius. Deut. 10.

VERITAS PRACTICA.

Totius difficultatis de pura Intentione solutio, Studium est continuum reprimendæ Concupiscentiæ.

RATIO EST, Quia tota difficultas de pura intentione versatur circa sufficientem voluntatu dispositionem, ad hanc puritatem inducendam.

Sed ex studio continuo reprimendæ Concupiscentiæ, cognoscitur sufficientis voluntatu dispositio ad talem effectum.

Ergo 2da est solutio totius difficultatis. Ac providendo illud Studium continuum maxime est necessarium.

I. PUNCTUM.

QUOD Circumcisio legalis figura esset: Circumcisionis spiritualis quæ est mortificatio interior seu Studium reprimendæ Concupiscentiæ, jam dictum est ex Apostolo qui de se ac nobis omnibus, Nos sumus, inquit, Circumcisio, qui spiritu servimus Deo, Et alibi: Circumcisio cordis in spiritu, & non litera: Q. d. Hæc est vera Circumcisio, qua cordis concupiscentiæ circumciduntur: hæc est spiritualis ad quam carnalis velut ad finem refertur: hæc est quæ fit per Spiritum sanctum non juxta literam legis Mosaicæ. Et rursum ubi de Christo Domino: Et essu, inquit in illo repleti, qui est Caput omni principatu & potest.

Phil. 3.

Rom. 2.

Col. 2.

-est.

seclatū: in quō & circumcisio estū Circumcisio
non manufacta in expoliatione corporis carnis,
sed in Circumcisio Christi. Quasi explicaret
in quo repleti essent, & quid esset, sic repleti in
Christo, nempe quod lex antiqua, variis præ-
mittebat figuris, id totum spiritualiter ad im-
pleri, per fidem, per Mortificationem, & alia
quæ modò profitemur.

Quam verò hæc spiritualis Circumcisio sit
necessaria puræ intentioni visum est etiam pri-
mâ die, & per se satis patet: Sed quàm necessa-
riò debeat esse continua, aut ejus saltem stu-
dium & propositum, nunc porò videndum est
acuratius ex declaratione Veritatis practicæ,
quâ statuitur totius difficultatis de pura in-
tentione solutionem ex hoc continuo studio
reprimendæ concupiscentiæ petendam esse.

Ratio hæc quæ assertur est valde conside-
randa. Quod videlicet tota difficultas de pura
intentione versatur circa sufficientem volun-
tatis nostræ dispositionem, ad hanc puritatem
inducendam. Non desunt quidem aliæ diffi-
cultates de quibus Theologi disputant, sed
hæc ad praxim potissima, imò & tota de habi-
tuali & virtuali quam vocant intentione, quid
sit necesse, quidve sufficiat, ex parte nostra,
cum divina gratia ad hoc ut recta & pura in
omnibus Intentio habeatur. Cum enim Inten-
tio primò & principaliter sit actus voluntatis,
ut expressè docet sanctus Thomas, certum est
ex una parte, quod ut pura sit intentio, necesse
sit voluntatem esse puram seu purificatam pra-
vis illis affectibus & desideriis quæ militant
adversus animam, & quibus in agendo tota
naturaliter occupatur, nisi eis resistat. Ex alia
verò parte, cum variis & longè diversis modis
voluntas possit resistere vel consentire illis
motibus, nunc plene & perfecte, nunc semi-
plene & imperfectè; hinc fit, ut tot variis &
diversis dispositionibus sit affecta voluntas
circa Intentionem operis, quor erunt illi varii
& diversi modi, quibus consentiet vel resistet
pravis affectibus. Atque hinc demum oritur
tota difficultas, quomodò cognoscatur in tan-
ta varietate, sufficientis dispositio voluntatis, ut
ipsa sufficienter pura sit, & recta intentio quam
præterdit. *Proba me Deus & scito cor meum, in-
terroga me, & cognosce semitas meas. Et vide si
via iniquitatis in me est, & deduc me in via a-
terna.* Quasi diceret, fac me cognoscere, quod
quidem cognitu est difficile, & tamen utile, an
rectam in actionibus Intentionem habeam, an

R. 2. 9. 12.
et.

Pf. 138.

rectè incedam ad vitam illam æternam, ad
quam sum conditus, & à qua si devio, reduc me
& dirige me in viam rectam.

Sic orandum esset cum Davide, ut simul
cum illo etiam possis dicere: *Audiam quid lo-
quatur in me Dominus.* Pf. 84.

II. PUNCTUM.

SED ex studio continuo reprimenda Concu-
piscencia, cognoscitur sufficientis voluntatis di-
spositio ad hanc puritatem inducendam.

Primò intelligendum est, quid sit continu-
um studium reprimendæ Concupiscentiæ,
nempe voluntas efficax cum divina gratia sic
continuo reprimendæ naturæ corruptæ seu
naturalis ejus propensionis, ut quantum ad-
verti poterit, semper reprimatur; Et ut semper
advertatur, non levis cura adhibeatur; singu-
lis mane diebus propositum renovetur, sæpe
ad id Gratia petatur, quotidianum examen in-
stituatur, & alia denique conferantur quæ indi-
cent veram & efficacem voluntatem. Hoc est
quod vocatur studium continuum: hoc est
quod ait Sapiens, *Esto firmus in via Domini, & in
veritate sensus tui.* Eccl. 1.

Secundò, agnoscendum quomodò ex illo
studio cognoscatur sufficientis voluntatis di-
spositio: Nempe quandò verè dubitur utrum
consenserit, necnè, contrariis puræ Intentioni
motibus, signum est probabilius non consen-
sisse, quamdiu sic studiosa sicque affecta & di-
sposita fuerit voluntas; quidquid sentiat in
appetitu, si tum quis certò non agnoscat se ali-
quid voluisse inordinatum, certius est noluisse.
*Non ego operor illud, sed quod habitat in me pec-
catum, id est Concupiscentia.* Quod si quidem
consensisse videtur, nec tamen satis plene ad-
verterit ad illos pravis motus, signum est con-
sensum illum non esse voluntarium, quia scilicet
ex studio illo continuo, seu ex illa volunta-
te efficaci, certum est quod si advertisset non
consensisset, ac proinde consensus ille est ve-
luti subreptitius & involuntarius. *Non enim
quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum,
hoc ago,* ait idem Apostolus. Si denique deficiat
actualis intentio, & dubitetur utrum virtualis
vel habitualis sufficienter operetur, quandò in
operando, de recto sine non cogitatur, credibi-
lius est ex illo studio, sufficienter purè & rectè
operari. Nam sic est affecta & disposita volun-
tas, ut si adverteret, vellet actū & re ipsa sic rectè
opc-

Rom. 7.

Ibid.

operari; Quod autem non advertat, irascim-
tatis est humana potius, quam malitiæ vel vi-
tij oppositi puræ intentioni. *Nihil damnatio-
nis est iniquis in Christo Iesu, qui non secun-
dum carnem ambulavit.*

Ibid. 8.

Quod si verò in aliquo defuerit illud con-
tinuum studium, planè aliter de re tota defi-
niendum est: & iudicium omninò contrarium
eriferendum. Licet enim is non magis ex-
prescè quam alius advertat ad illos pravo natu-
ræ motus qui puritatem intentionis infici-
unt & impediunt, tamen credibilis est illis
consentire, & illos velle, quia scilicet non stu-
der, nec vult sicut alius efficaciter eos reprimere;
Non idcirco sibi satis invigilat, nec eos
motus quo possit modò cum gratia prævenit,
aut ordinariè repellit: licet eos actu & volun-
tariè velle non videatur, quando non advertit:
censetur tamen & præsumitur eos velle conse-
quenter, quatenus voluntariè non agit quod
posset & deberet. Cuius defectu sequitur ut
voluntas malè sibi placeat in illis moti-
bus; quidquid dicat ad se excusandum. *Ego scio,
ait Dominus, inscientiam eius, & quod non sit
iuxta eam virtus eius; Nec iuxta quod poterat,
conatus est facere.* Unde illud accidit, quod ex
alio Propheta sæpe memorandum venit; *Col-
ligata est iniquitas Ephraim absconditum pecca-
tum eius.* Hi sunt funiculi vanitatis in quibus
trahitur iniquitas, & quasi vinculum plaustris
peccatum. Hæ sunt colligationes impietatis
quæ dissolvendæ erant. Hi sunt fasciculi depri-
mentes nisi solvantur: hæc catena de medio tui
auferenda. Vide Isaiæ quinto & quinquagesi-
mo octavo.

Ibid. 48.

Osee 11.

Is. 58.

III. PUNCTUM.

TOTIVS igitur difficultatis de pura Inten-
tione solutio, tam verè ex continuo studio
Concupiscentiæ reprimenda patitur, quam verè
ex illo studio cognoscitur, sufficiens voluntati di-
spositio, ut pure velit quod est volendum suffi-
cienter, ut pura sit intentio. Sic accommodatè
de unoquoque nostrum dici potest quod de
Christo refertur, si cum eo verè dicimus, *Deus
meus voluit, & legem tuam in medio cordis mei.*
IN QUÀ VOLUNTATE SANCTIFI-

Hebr. 10.

CATI SUMUS: Ut è contra, cui deest talis
voluntas, defunt ei omnia.

Quod confirmatur ex iis qui assueverunt
juramentis & blasphemis; Cum quæritur utrū
peccent, jurando & blasphemando, quando et-
iam non advertunt. Respondetur, quod si stu-
deant pravam deponere consuetudinem &
sufficiens indicent se, si advertent, nolle i-
ta blasphemare, tunc non peccare cum blas-
phemant non advertentes: quia ex illa vo-
luntate seu studio desuèscendi, indicant se nol-
le id illis non esse voluntarium. Quod si verò
non studeant desuèscere, tunc eos peccare
quoties malè jurant aut blasphemant, non ad-
vertentes, quia sic censentur velle consequen-
ter ex eo quod non studeant nec laborent in
contrarium, nec proinde aliter velle præsumā-
tur. *Blasphemantes in corruptione sua peribunt,
percipientes mercedem iniustitiæ, voluptatem
existimantes Dei delicias,* ait S. Petrus. Sic pro-
porcionate de aliis sentiendum, ut dictum est;
Undè apertius patet quàm ut rursus ostenda-
tur, quàm sit necessarium hoc continuum stu-
dium sui reprimendij.

2. Pet. 2.

Quanta est enim differentia inter vitiosum &
non vitiosum tanta dici potest inter studiosum
huius praxis, & non studiosum. Hi sunt pii vel
iniqui de quibus dicitur, *Novit Dominus pius
de sensatione eripere: iniquos vero in diem iudi-
cij reservare cruciandos; magis autem eos qui post
Carnè in Concupiscentiæ immunditiæ ambulans,
dominatione qua contemnunt, audaces, sibi placē-
tes.* At verò audet eodem quid statuas in po-
sterum: *Vos autem curam omnem subinfertes
ministrare in fide vestra virtutem, in virtute
autem scientiam.* Et quæ plura refert ad hanc
omnem curam & hoc continuum studium
commendandum, de quo sic verè dictum à
Kempeus: *Secundum propositum nostrum, cur-
sus profectus nostri; & multa diligentia opus est
bonè proficere volenti.*

Ibid.

Ibid.

2. Pet. 1.

L. 1. de

Imit. Chr.

6. 19.

Vide infra, Hebdomadam quartam post E-
piphaniam, & verbo *Intentio. Voluntas.* Et vi-
de ne plus cogites de carpenda Veritate,
quàm de vero eius fructu excer-
pendo.

Huiusmodi pars prima.

O

DIE